

16843.

ANALECTA QUaedam  
AD INFUSIONEM

\*\*\*\*\*

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENTIENTE AMPLISSIMO MEDICORUM  
ORDINE

IN

CAESAREA LITERARUM UNIVERSITATE  
DORPATENSI

PRO GRADU

DOCTORIS MEDICINAE

LEGITIME IMPETRANDO

LOCO CONSUETO

PUBLICAE DEFENDET

AUCTOR

JOANNES PREVÔT

LIVONUS.



.....

DORPATI LIVONORUM

EX OFFICINA ACADEMICA J. C. SCHÜNMANNI

MDCCCLXIII.

1860

In p r i m a t u r,

ea tamen conditione, ut, simulac typis excusa fuerit  
dissertatio, septem exemplaria collegio, cui librorum  
censura est, tradantur.

Dorpati Livonor. d. xx. Mens. Maiji.

MDCCCLXIII.

Dr. J. C. Moier,

h. t. Decanus.

DIV 560

E. G. BRACHMANN

avunculo suo dilectissimo

batce

studiorum primitias

pia grataque mente

D. D. D.

AUCTOR.

## P r a e m o n i t a .

**M**edendi methodus, quam tractandam deligere visum est, cum parum adhuc esset sive tractata, sive exulta, mihi que deessent virorum doctorum, qui in ea disquirenda versati sunt quaedam opera: cum variis conflictandum mihi erat difficultatibus. Hinc habeo sane, quod nimiae brevitatis et manci nullaque ex parte perfecti in hujus medendi methodi historia contexenda sermonis veniam mihi exorem a benevolis lectoribus. Praeterea neutiquam mihi proposueram omnino exantlare hancce materiem, non nisi methodi illius medendi tractandae, a tam multis medicis despiciatui habitae omninoque rejectae, plerumque in nimiae artis argutiis numeratae, collatu-

rum qualescunque symbolas. Verum enim vero salutarem mirumque istius methodi vim probaturo insignia quaedam ac memorabilia in medium proferre visum est exempla. Non in ancipitibus suspectisque opinionibus fingendis theorisve fabricandis versatus, magis de mirae illius methodi fine pratico cogitavi. Quam quidem ob causam experimenta ab Ill. Hornio facta necdum cognita, atque ex ephemeridibus suis clinicis benevole mecum communicata nauci floccique nemo habuerit lectorum.

Quos denique, hoc qualescunque opusculum tironis esse medici haud immemores, ex aequo bonoque judicare velint, ea, qua par est, observantia enixe rogo.

.....

## C a p u t I.

### *Prooemium.*

#### §. 1.

Ingestionem fluidorum in animantis corporis *vasa* sanguifera, infusionem dicimus.

#### §. 2.

Primum infusionis adhibitae finis mere physiologicus erat, experimentis in mammalibus factis; ex iis, quae inde erant comperta, circulationis sanguinis ab Harvey detectae argumenta mutuabantur. Deinde sensim invalescere coepit infusionis usus, ut turbatae valetudini hac etiam ratione medicamine corpori ingesto, consuleretur.

## §. 3.

Experimenta per vices varioque tempore facta qui examinaverit, diffiteri non potuerit, quorundam saltem prosperrimum fuisse successum. Est igitur, quod doleas, infusionis usum non fuisse unquam frequentiore, nec omnino studium ejus frequentius. Nam si quis hujusce methodi medendi historiam lustraverit, non intelligere non potest, hodieque eam versari in ipsis suis incunabulis.

## §. 4.

Jam diu est compertum, esse materias, quarum vis ac virtutes in tractu intestinorum utique pereant assimilando, quippe quae non nisi proxime susceptae vigere in sanguine possint, ut venenum viperarum, contagium hydrophobicum, lymphæ variolæ vaccinae, fortassis et plura alia istum in finem nondum satis examinata. Nonne expertis illis adducti, ad morbos curandos, in quibus tractandis medicamentorum solita via adhibitorum iners atque inefficax vis cernitur, quorumque cura consueta methodo instituta, sive plerumque sive omnino successu caret, ad infusionis usum confugere suaserimus?



## §. 5.

Infusionis hodieque nimis raro adhibitae, neque ad altiore perfectionis gradum evectae vera causa tum in eo quaerenda esse videtur, quod complures docerent auctores, medicamentorum salutarem vim in organismum exserendam esse nullam, nisi in organis assimilantibus ante immutatorum; tum quod Metzgerus \*) aliique illam medendi methodum criminarentur ac de fama ejus detrahere studerent, tum denique, et maxime quidem, quod experimenta longe frequentius sine fructu atque infauste, quam fauste, essent instituta. Infusionis vero male succedentis exempla diligentius examinans facile plerumque edocetur aut operationem male esse factam, aut in eligendis aegrotis, quibus infusionis usu medicari vellent, ea, qua par erat, cura ac sollicitudine usos non fuisse medicos, periculo in aegris facto, qui, Hemmano \*\*) monente, omnino non,

---

\*) Metzgeri Skizze einer pragmatischen Litterargeschichte der Medicin, §. 268. Königsberg 1792.

\*\*) Hemmani medicinisch - chirurgische Aufsätze, Berlin 1778.

nisi miraculo portentoque sanari poterant, aut in medicamentorum adhibitorum sive quantitate, sive qualitate determinanda fuisse hallucinatos, quum constet, cujuscunque medicamenti efficaciam tum omnino ex vario statu vitali, tum ex organo suscipiente, ejusque relatione ad univ-ersum organismum, pendere.

§. 6.

Etiamvis medicamentorum per tractum intestinorum quae suscipiuntur, cum iis, quae venis injiciuntur, certa quaedam reperta esset convenientia, ex horum organorum receptivitate specifica, atque ex materie in ejusmodi locis suscepta, in quae alioquin non nisi per ambages influxum quempiam exserere potest, et quo, tanquam materia rudis, neque omnino assimilata nunquam pervenit, magna non enasci non potest differentia, solis sane experimentis reperienda.

§. 7.

Jam operationis locus, magis minusve ab organo systematis vasorum centrali, ab corde remotus, circa vim medicamentorum magnum infert differentiae gradum. Quanto quidem huic est proprior, tanto celerior magisque vigena compa-

ret reactio. Quod ad probandum et confirmandum, experimentorum quorundam illuc spectantium mentionem facere liceat: experimento in duobus canibus a Baglivio \*) facto, alteriusque venae jugulari duabus unciis spiritus vini vixdum injectis canis mortuus est; iisdem alterius canis venae crurali injectis, per minutiores unius horae particulas vehementi horrore canis correptus, copiosa urina reddita, mox convaleuit. Deidierius \*\*) similia in animalibus fecit experimenta, felle hominum peste peremptorum injecto. Celerius, saevioribusque symptomatibus concomitata mors consequebatur infusione in venam jugularem, tardius in venam cruralem, facta. Bichatus \*\*\*) aëre in venam portae canis immisso, seriore animadvertibat effectum minusque vehementem, quam venis injecto, sanguinem, via magis compendiarum ad cor devenientibus.

---

\*) G. Baglivii opera. Norimberg. 1751, p. 674.

\*\*) Deidier in: collection de la peste, An. 1744, p. 506.

\*\*\*) Bichat Recherches sur la vie et la mort, seconde édition, Paris 1802, p. 180.

## §. 8.

In animalibus plurima hodieque facta sunt experimenta, et ad determinandam quidem medicamentorum utique in vasorum systema ingestorum efficaciam. Et fac, haud satis tuto statui posse, eadem et in homine non comparere non posse phaenomena, unicam tamen illam periculorum faciendorum rationem dixeris ad remedium hoc quidem modo adhibitorum efficaciam in humano corpore quodammodo cognoscendam. Hallerus \*) observat, canes plerumque majoris doseos patientes esse, quam ipsos homines. Minus tamen in definienda infusionis usus opportunitate versati sunt medici, neque in morbis valde diversis hodieque adhibuerunt. Quando, et quibus in morbis suadendus sit infusionis usus, hoc quidem monstrandi postrema dissertationis nostrae sectione magis opportunus fuerit locus. Id tamen praemonendum nobis esse videtur, infusionem, exemplorum, quae nobis quidem innotuerunt, ratione habita, hodieque faustissimo

---

\*) Halleri Elementa physiologiae. Lausannae, An, 1757. Tom. 1, p. 229.

successu esse adhibitam in iis morbis curandis, in quibus sanguinis *duopaisa*, in morsu viperae, sicut in spasmis tonicis et chlonicis, in morbis animi et in oesophago corporibus heterogeneis occluso, ad vomitus accelerandos. Praeterea et cerebri exsudationem lymphaticam cum sensibilitate depressa concomitam infusione fere omnino sanatam commemorat Hunnius. Cel. Magendus experimenti notatu dignissimi in cane, Hydrophobia laborante a se facti mentionem facit. In medium proferre liceat quaedam gravioris notae momenta:

§. 9.

Febri putrida laboranti cuiusdam de cujus salute fere desperandum erat, Hemmannus injiciebat decocti cortic. peruviani concentrati, in quo aliquantulum salis C. C. solutum fuerat,  $\mathfrak{z}$  jij. Haud ita multo post, invalescente pulsatione ac odore male olente subsecuto, melior aegroti conditio erat. Subsequentis diei autem matutino tempore cum in pejus recideret, iniectione extra-

---

\*) Hemman, l. c.

cti chinae cum sale essentiali, (utroque in aqua soluto), per venam repetita, omnino convaluit aeger.

Scorbutus aqua cochlearia injecta est sanatus. \*)

§. 10.

Larreyus et Petitius \*\*) multa in tetano experimenta fecerunt et solutione quidem extracti opii aquosi injecta exoptatos animadvertebant successus. Post in nosocomio Abattoriensi, Menilmonte constituto, in militibus rossicis infusionis periculo publice facto, sanatorum ad mortuos relatio erat 5:8. Nulladum mihi quidem innotuit medendi methodus, cujus in tractando tam horrido morbo tam faustus unquam fuisset successus.

Feminam spasmis epilepticis vexatam, haemorrhagia narium ita restincta, ut frigida aqua capiti subito infunderetur, moscho injecto omnino sanavit Hemmannus. \*\*\*)

\*) Italienische Bibliothek v. Weigel, 3. Bd. 2. St. p. 48.

\*\*) Dictionnaire des sciences medicales, Tom. 25, p. 31.

\*\*\*) Hemman, l. c.

## §. 11.

Maniae, infusionis beneficio, sanatae exemplum commemorat C. W. Hufelandius \*) et in puella quidem viginti duos annos nata. Tartaro stibiato, frigidae aquae superfusionibus balneisque sine ullo fructu adhibitis, novus dirusque morbi impetus cum rediret, Tart. stibiat. gr. jv, Camphor. gr. jv cum mucilaginis Gumm. arabic. ʒij sinistri brachii venae medianae injectis, horis viginti quatuor elapsis cum nullusdum animadverteretur effectus, sequente die dextri brachii venae eadem medicamentorum commemoratorum portio est ingesta. Sub vesperam insequentibus vehemens eructatio, vomitus, aestus, maniaeque remissio. Nocte somno tranquillo perfecta, mane sui utique conscia erat puella, querebunda de summo languore. Diebus XVI. quiete consumptis, redibant maniae symptomata. Hinc Tartari stibiati gr. vj. cum aequali Camphorae portione et Gumm. arabici mucilagine injectis, post horas XV. quiescere quidem coeperat morbus,

---

\*) Hufelands neues Journal der practischen Heilkunde, Bd. 23, St. 1, p. 177.

sed non nisi dierum XVII. illa erat remissio. Quum deinde, et quarta quidem vice, injectio modo commemorata repetita fuisset, quietus aegram occupavit somnus, ingente sudore per complures horas madentem. Expergiscente puella disparuerat omnis mania. Per sex hebdomadas diligenter observata, nullo omnino symptomate virgo vexata, unde maniae reditum licuisset suspicari.

§. 12.

Adversus viperarum morsus infusione Guazizus \*) usus est faustissimo successu, adeo remedii omnibus quorum et internum et externum usum ars medica suaserat, frustra adhibitis, aegro vix dum spirante, citra motum jacente, corpore jam frigescente, pulsione haud amplius percipienda. Spirit. C. C. guttis XVI. vix ac ne vix quidem injectis, oculis apertis, loqui coepit aeger; haud ita multo post satis facilis erat artuum motus, pulsatione vigente ac celerante, calore reduce, tranquillus erat nocturnus somnus, ita, ut, sequente mane par esset obeundis suis negotiis. Jam ante

---

\*) Italienische Bibliothek, l. c. p. 47.



Guazzium, Hannibal Bastianus \*) et Valisnerius \*\*) infusione spiritus C. C. pariter usi sunt prosperrimo successu, vel tum etiam, cum parum spei salutis fuisset.

§. 13.

Venae medianae militis, cujus in oesophago frustum carnis fixum haerebat, ita, ut neque extrahi, nec detrudi posset, solutionis Tartari stibiat gr. iij a Köhlero \*\*\*) injectis, vomitus est obortus, quo carnis frustum eiciebatur. Duo alia exempla huic fere similia commemorat Baleckius \*\*\*\*). Cel. Graeſus, Med. Prof., \*\*\*\*) paria, infusio Tart. stibiat. gr. ij, in mucilagine G. arab. soluta, expertus, successu gaudebat prosperrimo in homine, cui os quoddam deglutitum oesophagum omnino obstruxerat, adeoque inhaesit, ut medicorum complurium id vel extrahendi vel detru-

\*) Nuovo magazzino Toscano, Vol. III., p. 174.

\*\*) In Galer. di Minerva, T. VII., p. 135.

\*\*\*) Schmuckers vermischte Schriften, Berlin 1772, p. 239.

\*\*\*\*) Mursinna's Journal für Chirurgie, Bd. II, St. I, p. 64.

\*\*\*\*\*) Salsburger Zeitung 1819, No. 54.

dendi conatus, per triduum adhibiti, irriti essent, quum demissius haereret, quam quod laryngotomia depromi posset.

§. 14.

Hunnius \*) hominem annorum LXXVIII, ceteroquin robustum, exsudatione ventriculorum cerebri laborantem curaturus, *Serpentaria*, *Senega*, *Camphora*, *Belladonna* et similibus usus erat remediis, sine ullo fructu. Periculum, cui obnoxius aeger erat, cum magis magisque auctum videretur, ita, ut vix suscitandus esset ex suo sopore; responsa ejus omnimodam mentis alienationem proderent, ad lecti sui inferiorem asserem saepe laberetur, os pateret, manus pedesque frigerent, pulsus parvi et intermittentes, fere omni salutis spe abjecta, infusionis periculum facere statuit ille. Dextri brachii venae medianae injiciebat *Camphorae* gr. vj. cum tenuis mucilaginis seminum cidoniorum ʒjβ. Quibus vix ingestis, adaperiebat oculos aegrotus, compos sanae mentis. Mirum in modum invaluerat dextri brachii

---

\*) Hufeland l. c., Bd. 22, St. 4, p. 44.

pulsatio, sinistri pulsatione parum immutata. Unius horae minutis particulis x elapsis in quietem recreantemque somnum incidit. Postero die auctae vires erant; deinde idoneis medicamentis solita via adhibitis, horum beneficio brevi tempore fere omnino pristinam recuperavit sanitatem.

§. 15.

Efficacissima maximeque praesentanea alioquin medicamenta, ut narcotica, vasis sanguiferis injecta Magendie \*) quidem auctore, neque in homines, neque in animalia hydrophobia quae laborant, vim exerunt ullam. Monet vir Celebrissimus, venis hydrophobia correpti canis opii ad gr. x sese injicisse, nullo omnino prodeunte narcotico effectum, dum sanus, beneque valens canis ex uno grano abripi soleat in somnum. Ille et Cel. Dupuytrenius adolescentis hydrophobiae obnoxii venae radialis extracti opii gummosi gr. vjij injiciebant, vix percipiendo effectum. Canes rabiosi acidum hydrocyanicum venis injectum sustinebant, morbi sui conditione nequam immu-

---

\*) Journal de physiologie expérimentale, No. 1.

tata. Magendfo, memori, rabie correpta animalia, tum omnino abstinere a fluidorum potu, tum perpiratione, motuum vi insignem istorum facere jacturam (inde videre quidem licet densum serique fere nique expertem sanguinem e vena emissum); memori praeterea, vasis artis ope aqua repletis mirum in modum infringi ac debilitari systema nervorum, insigne in mentem veniebat, ad hydrophobiam debellandam, calidae aquae infundendae consilium. Hinc in cane femella, summa rabie correpta, hocce fecit experimentum: Vena jugulari sinistra denudata atque incisa sanguinisque circiter lib. j emissa, aquae calidae unciae circa L. x. vicissim injiciebantur. Cujus quantitatis dimidia fere parte in venam ingesta, jam valde extensa erant vasa. Quam ob causam Cl. Magendius inferiori venae parti, dum infundere pergebat, ex superiori, sanguinis aqua jam permisti uncias x — xj emisit. Quo facto quieti ac tranquilla decubuit canis, incurvata, tanquam dormitura, id quod, ex quo correpta hoc morbo erat, nunquam animadverti licebat. Nec minax amplius videbatur vultus. Verum enim vero experimento finito verebatur vir Cel. ne nimium

aquae infecerit, indeque pulmonum vasis sanguiferis justo magis oppletis, ne in vitae discrimine versari canis posset. Neque irritus metus erat. Nam quinque horis post infusionem calidae factam angore pectoris adfecta canis, magis magisque aucto, hora dimidia post exspiravit. Sed rabiei tamen ipsius nullus amplius redierat impetus. Cadaveris sectione facta, nulla observabatur sive cerebri, sive medullae spinalis, sive organorum coctionis enormis alienatio, nisi quod glandulae salivales tumore insignes ruberent, ex aquoso sanguine turgidi reperirentur pulmones, trachea et bronchia spuma subfusca repleta, membrana pituitaria inflammata.

Fortassis igitur aliquando contigerit, ut hydrophobia, quam medicorum crucem ac flagellum dicere possis, quippe quae hodieque omnibus medendi methodis pertinaciter obstinateque obsisteret, hac curandi methodo admissa fausto Marte impugnetur.

#### §. 16.

Quum, infusione, a sanguine proxime excipiantur medicamenta, remediis cor proxime incitantibus illa est adnumeranda, digna igitur, cu-

ius in asphyxiis usus haud minus, quam ceterorum, ut caloris, electricitatis, aëris in pulmones inflati etc. commendetur. Vena jugularis, aut, infantum asphyxiae obnoxiorum, umbilicalis, infusioni perficiendae quam maxime videtur esse ut idonea, ita et commendabilis. An in hominibus istiusmodi experimenta facta fuerint cum fausto successu, equidem ignoro. Unius quidem in catello asphyxia correpto, facti, mentionem facit Schurigius \*) Spiritus vini Rhenani aliqua pertufuncula venae istius umbilicali infundendo injecta, vita, quae ante quasi condormuerat, mox expergiscatur.

§. 17.

Submonendum mihi praeterea videtur, infusione facta, locum illius, per jam ampliorem jam arctiorem ambitum haud raro levi inflammatione conspicuum esse solere, insuper venae sanguine ibidem coagulato. Maxime vero ex acidis ingestis, quae sanguinis albuminosam partem adigunt ad coagulandum, id quod praesertim injectione

---

\*) Embryologia a Schurigio. Dresdae et Lipsiae, 1752, p. 227.

justo velocius temereque facta, periculum adferre potest aegroto. Cujus rei compluria Hallerus \*) in medium protulit experimenta. At cum levior fuerit inflammatio, neque insignis coagulatio, nihil minantur periculi, chirurgiae beneficio utraque facile depellenda.

---

\*) Haller elementa Physiologiae, T. 1, p. 227.

## C a p u t II.

*Historiae infusionis breviarium.*

## §. 18.

Ad prima infusionis fabulosa vestigia si retrogradi velis in Aesonis mytho \*) ea deprehenderis, Medeamque veneficam (*Φαρμακίδα*) eam dixeris, quae, quod sciamus, prima hanc adhibuerit medendi methodum. Post millia annorum elapsa A. S. MDCXXVIII, Collius \*\*), Medicinae in Paduana literarum universitate Professor publicus, primus istam methodum fusius descripsit et A. S. MDCXLII, Wahrendorfii, equitis Lusatici,

---

\*) Ovid. Metamorphos. Lib. VII., v. 285.

\*\*\*) Colle Methodus facile parandi jucunda, tuta et nova medicamenta. Venetiis 1628. Cap. 7, p. 170.



nobili stirpe oriundi, quidam venator canum venis vinum infudisse fertur \*). Sanguinis circulatio ab Harveyo detecta ad theoretica infusionis praecepta reperiunda non adducere nec fidem ejus tueri non poterat. Anno deinde MDCLVII. Cl. Wrenius \*\*), societatis scientiarum Londinensis conditor, Roberto Boylio \*\*\*) , Timotheo Clarkio \*\*\*\*), Henshawio †), et, aliquo tempore post, Richardo Lowerio ††) medicamentorum in viventium animalium venas infundendorum pericula faciendi ansam praebuit. Inter Germanos A. S. MDCLXI. similia Joannes Sigismundus Eleholz ††) facere ausus est experimenta. His quidem omnibus, ultra pericula in animalibus facta

---

\*) Sprat history of the royal society of London, London 1667, p. 317. Christoph Wren was the first author of the noble anatomical experiment of injecting liquors into the veins of animals.

\*) Boyle in philosophical Transact, nq. 22.

\*\*) Clarke in philos. Transact, 1628, nq. 35 sq.

\*\*\*\*) Henshaw in philos. Transact. 1628.

†) Lower de corde, Amstel., c. 4, p. 117.

††) Clysmata nova et ratio, qua in venam seetam medicamenta immitti possunt. Coloniae ad Spream 1667,

non progressis, Colladonius \*) primus fuisse perhibetur, qui eo audaciae processerit, ut venis humanis fluida injiceret. Jamnunc publice probabat Joannes Daniel Major, Medicinae Professor Kiloniensis, in compluribus suorum operum docens atque adserens, \*\*) infusionis fluidorum in viventium animalium venas inventae (quae tum, et aliquo etiam tempore post et artis infusoriae et chirurgiae infusoriae nomine venire solebat) sibi soli deberi honorem, enumeratis quidem factis a sese periculis. Ex quibus id saltem illuscescit, primum hunc fuisse, qui in

\*) P. Scheel, die Transfusion des Blutes und die Einspritzung der Arzeneien in die Adern, Kopenhagen 1802, 1. B., p. 38.

\*\*) D. Major prodromus inventae a se chirurgiae infusoriae, Lips. 1664.

Ejusdem Chirurgia infusoria, Kilon. 1667.

— Occasus et regressus Chir. infus., Gothae 1667.

— Appendix ad scriptum Occas. et Regress. Chir. infus., Gothae 1667.

— Memoriale anatomico - miscellaneum, Kil. 1669.

— Deliciae hibernae s. tria inventa medica, Kil. 1670.

— Dissertatio de clysteribus veterum ac novis, Kil. 1670.

transfundendo sanguine in homines periclitaretur. Quae sanguinis transfusio tum quoque ipsa infusione frequentius exercebatur, usque dum transfusionem quarundam funestus successus aulae supremae regni Franco-Gallici Parisiis Lutetiorum constitutae (Parlement) decreti publicandi ansam praeberet, cujus tenore transfusione in hominibus uti nefas esset, id quod pontifex Romanus jam ante ediderat. A. S. MDCLXVIII (Schmidtus \*) et Fabricius \*\*), uterque Gedani, in syphiliticis, arthriticis atque epilepticis infusione usi sunt haud sine fausto successu. Et Mathias Godofredus Purmannus \*\*\*) A. S. MDCLXXXIII infundendo summo ipsius medicus factus, inveteratam, qua laboraverat, scabiem, deinde etiam febrem intermittentem quotidianam, qua serius vexatus erat, infusione in semet ipso adhibita, dexterrime sanavit. Inter Italos, in infusione primi periclitati sunt

---

\*) Journal des sçavans 1668, p. 436.

Ettmüller, de chirurgia transfusoria, p. 36.  
Philosoph. Transact, nq. 30, 34.

\*\*) Fabricius in philosophical, Transact nq. 30,

\*\*\*) Chirurg. Lorbeerkrantz, T. III, p. 277.

Sarpinus et Follius \*) A. S. MDCLXXX Follius quidem acris animalium venis ingerebat materies, quorum experimentorum mentionem facit rationemque reddit in litteris ad Malpighium datis. Plurimorum eventus erat lethalis. Deinde et Regnerus de Graaf\*\*), A. de Heyde \*\*\*) , Freindius \*\*\*\*) et Franciscus Petitius †) et physiologicis quidem rationibus ducti, maxime ad sanguinis coagulationem ejusque rationem rectius perspiciendam, in animalibus infundendi faciebant pericula. Sub initium Seculi XVIII. Valisnerius ††) ad viperæ morsum usus est infusione. Pinellius †††) in venenis infundendis est periclitatus, id

\*) Follis stadera medica nelle quale oltre la medicina infusoria si bilancia la transfusione del sangue Firenze 1680.

\*\*) R. de Graaf def. contra Swammerdam, p. 319.

\*\*) Heyde observationum, nq. 90.

\*\*\*\*) Freind Emmenologia, p. 217 seq.

†) Lettres d'un Medecin à un autre medecin, Namur. 1704.

††) In Galer di minerva, T. VII, p. 135.

†††) Pinelli del origine e principio della podagra. Romae 1734.

quod deinde Sproegelius \*) ausus est, venenis venae jugulari ingestis. Deidierius \*\*) pestilentiae vi Massiliae late vagante, acidorum animalibus infundendorum pericula fecit. Loesekius et Lieberkühnius periclitabantur potissimum in emeticis ac purgantibus infundendis. Eodemque fere tempore, circa medium Seculi XVIII. ad viperarum morsus, infusione usi sunt Guazzius \*\*\*) et Hannibal Bastianius \*\*\*\*). Emetico injecto ex suffocationis discrimine hominem eripuit Köhlerus †) eodem tentamine a Baleckio ††) deinde repetito. Anno MDCCLXXVIII Hemmannus in febre putrida et epilepsia et Anno MDCCLXXX Regnaudotus †††) infusione usus est in asphycticis,

\*) Sproegel Diss. experimenta circa venena in variis animalibus instituta, Götting. 1753.

\*\*) Haller Physiologia, T. II., p. 75. Deidier experiences sur la bile et les cadavres des pestiferes etc., 1772.

\*\*\*) Vid. §. 11.

\*\*\*\*) Vid. §. 11.

†) Vid. §. 12.

††) Vid. §. 12.

†††) Regnaudot Diss. de chirurgia infusoria renovanda, Lugd. Batav. 1780.

at sine fructu. Recentiori aetate in curandis Equis, maxime blenorhoea narium laborantibus, Viborgius et Scheelius \*), multa faciebant infusionis experimenta, qua et Ill. C. W. Hufelandius \*\*) ad morbos animi, Hunnius \*\*\*) ad exsudationem cerebri fractamque sensibilitatem, Graefius \*\*\*\*) osse oesophago inhaerente usi sunt haud sine prospero successu; aliis praeterea a Bichato, Magendio, Orfila, Larreyo, Nystenio, Dupuyo aliisque inter Franco-Gallos factis infundendi periculis.

---

\*) Scheel l. c.

\*\*) Hufeland l. c., B. 23, St. 1, p. 177.

\*\*\*) Vid. §. 13.

\*\*\*\*) Vid. §. 12.

## Caput III.

### *Infusionis exercendae methodus.*

#### §. 19.

Quae, circa varium ejusdem remedii venae injecti effectum, invenisse sibi videntur medici, aliquam certe partem ex ipsius actionis methodo prodierint. Quo velocius instituitur injectio, eo celerior validiorque illius est effectus. Hinc fere factum esse videtur, ut medicorum observata, circa aërem venae inflatum cum vulgo communicata alia aliis contradicerent. Sic Bichatus \*) adserit, jam aërem semipollicis (quoad altitudi-

---

\*) Anatomie generale, T. II.

nem et longitudinem latitudinemque) spatium im-  
 plentem ( $\frac{1}{2}$  Cubiczoll) cani, mediae corporis mag-  
 nitudinis, inflatum, mortem omnino inferre. Ma-  
 gendius \*) contra, venae tantidem canis sensim  
 aëris ejusmodi pollicibus LV inflatis, non nisi exi-  
 lem vixque acceleratam respirationem inde effec-  
 tam animadvertit.

Experimentis magis exoptato successu factis  
 satis edocemur, injectionem lente, nec nisi gut-  
 tatim esse instituendam, et fluida ingerenda quae-  
 que, temperiei i. e. caloris sanguinis esse debere.  
 Suspitari igitur licet, vehementiorem medicamen-  
 torum more solito assumptorum vim saliva, succo  
 gastrico, mucilagine gummosa, quibuscum mis-  
 centur, frangi.

§. 20.

Infusorii, seu supellectilis, quo ad injicien-  
 da fluida utuntur, forma varia ac diversa est,  
 inde ex [Harveyi aetate vario modo immutata.  
 Wrénius \*\*) utebatur exili tubo coniformi,  
 cum adfixa vesica, fluido injiciendo replenda.

---

\*) Dictionaire des scienc. medic. T. XXV. p. 29.

\*\*) Philosoph. Transact. No. 7.



Ad opus adgrediendum se accingens, cute dissecta, vena denudata eademque aperta tubuli cuspidem caute sollicitoque immittebat. Blumenbachio \*) magis arridebat, vesicae loco, ampullula ex resina elastica facta. — Stanneo seu argenteo siphunculo duarum unciarum molem capiente, uti visum est Scheelio \*\*). Cuspidem fecerat ex resina elastica, sinem argenteum. Deducebat hunc super specillo concavo in venam. — Alius supellectilis conditio ac ratio haec est: Cogitato de infundibulo ventrioso in tubulum fere angularem desinente. Tubuli hujus superiori parte obturamento occlusa, spatium superius fluidi injiciendi praestituta quantitate, oppletur. Obturamento deinde extracto, sua ipsius gravitate fluidum guttatim detruditur in venam \*\*\*). Quum autem istis supellectilibus adhibitis sanguinis jactura arceri nequeat, ad hanc, quantum ejus fieri

\*) Blumenbach introd. ad historiam medic. literar. p. 299.

\*\*\*) Scheel Transfusion des Blutes, Bd. II, p. 239.

\*\*\*) Piorer's anatomisch - physiol. Realwörterbuch, Bd. 4, p. 215.

possit, maxime imminuendam, Ill. Graefus \*),  
Med. Prof. suadet, cute dissecta, subtili acu tri-  
quetra eademque curvata venam aperire, acque  
retracta, tubulo in vena relicto, siphonis aeque  
curvatae cuspidem immittere.

---

\*) Eduard Graefe Diss. de nova infusionis methodo,

## Caput IV.

*Experiundo de infusione, Ill. Hornii,  
Prof. Med. auspiciis cognita.*

§. 21.

Transimus jam ad experimenta enumeranda infusione, in nosocomio caritatis Berolinensi, Ill. Hornio auspice ac moderatore facta, et in hominibus quidem, qui vehementibus spasmis, maxime vero epilepsia mentisque alienationibus laborabant, in quibus tractandis, per complures annos singulis, quas ratio medica suaserat, medendi methodis adhibitis, oleum et operam perdidit, tantum salutis peritissimi. Quanta infusionis vis fuerit, in miseros exserta, ex infra comme-

morandis experimentis ipsis intelligas. Infusione non nisi in adfecto nervorum systemate adhibita, quum internus organismi factor, tanquam aeterna vitae idea, definiri nullo modo possit, nec nisi externus, circa vim, qua in organismum pollet, regi ac determinari, eaque re sola peculiarem atque arbitrariam vitae evolutionem provocari liceat, minus equidem singularum nervosae passionis formarum rationem habui, quam efficaciae qualiscunque adhibitorum medicaminum ac phaenomenorum istis praebitis animadversorum; quae quidem potissimum commemorare consultum duximus. Nec temere, uti videtur; cum plurimorum medicamentorum infundendo adhibitorum usus iteratus crebro fuisset, qua quidem crebra repetitione infusionis omnis vis, quam humanis organismis praestat, tutius expeditiusque definiri possit.

Materiae medicae, infundendo tum adhibita, quarum definienda nobis sese offert efficacia, sunt, quae sequuntur: Acid. sulphuric. dilut. Aq. lauro-cerasi, Extract. Belladonnae, Extr. Hyosciami, Extr. et Tinct. Nucis vomicae, Extr. opii aquosi, Hydr. muriat. corros. Kali carbonicum,

Tartar. sublimatus, Zinc. sulphuricum. — Infusionis locus deligebatur vena mediana.

§. 22.

Acidum sulphuric. dilut.

Hujus, in quatuor epilepticis, gutt. j — v aquae, uncta una temperatae, venae injiciebantur. Inter infundendum acres urentesque oboriebantur brachii dolores; infusione vixdum finita, nausea, dimidia aut duabus horis post, febris, pulsus parvi, frequentesque, nausea, capitis dolores, siti concomitatum stadium frigoris; quo in calorem verso, pulsus pleni, faciei rubor, accedente aurium susurru. Angescebant et capitis dolores, et sitis et nausea, aliquot horis post totius corporis manante sudore. Inter febrilem impetum de atrocibus pectoris doloribus, sequens die continuantibus, conquiesciunt aegri. Quo ipso die, in tribus aegrotantium, praeterea accedebant irritata pulsatio, languor, capitis dolores, nauseaque. In quarto istorum miserorum febrilis paroxysmus ex omni parte utique repetitus. In infusionis loco inflammatio erysipelati similis exoriebatur, quae, sicut brachii dolores, complures dies cessabat, utrisque fomentorum non omnino

-sublati. In ipsum morbum nulla infusionis via est animadvertenda.

## §. 23.

## Aqua laurocerasi.

Infusis aquae laurocerasi guttis vj, ex aquae fontanae uncia una, duabus mulieribus epilepsia vexatis, altera statim post infusionem factam brevi syncope correpta, crebroque vomitu vexata, in altera leves spasmi oboriebantur, ambabus deinde de artuum tensione, capitis doloribus, levique horrore conquerentibus, vehementi duarum horarum frigore subsecuto; pulsus utriusque ut frequentes erant, ita et spastici. Vehementi calore sex fere horarum deinde insecuto, accelerata plenae percipiebatur pulsatio. Sudore profuso madentium calor cessavit. Insequentibus diebus de nausea languorisque sensu conquerebatur utraque miserarum. Inde a tertio die redierant ad priorem suam conditionem.

## §. 24.

## Extractum Belladonnae.

In femina atrocibus spasmis laborante, extracti Belladonnae (gr. j) ex aquae uncia una injiciendi commendabilis visus est usus. Infusione

vix ac ne vix quidem peracta; leves oborti sunt spasmi, haud diu vigentes. Dilatata conspiciebatur pupilla, vehemens corporis frigus exortum, jam in calorem, deinde in profusum sudorem conversum. Vespere (infusione antemeridiano tempore facta) febris immunis erat aegra, sequente die satis bene valens, et matutino tempore conspicua adhuc erat pupillae dilatatio. Intradierum undecim intervallum minus vehementes spasmi fuerant, majora erant intervalla. Quo facto, kali carbonico infuso, priorem vehementiam adeptus est morbus.

## §. 25.

**Extractum Hyosciami.**  
 Extracti Hyosciami grajis uno — quatuor in aquae uncia una solutis quinquies utebantur ad infundendum. Et bis quidem in femina, melancholica furibunda tantopere adfecta, ut rarissima essent, laeida quaedam intervalla. Prima vice grano uno injecto, post semihoram insigne frigus invasit aegrotam. Quam cum unam horam agitasset, vertebatur in calorem, artuum tensionis dolproso sensu, ac vehementibus capitis doloribus conjunctum, profuso sudore finitum. Quo facto lan-

guoris vitiumque omnino fractarum sensus remansit. Furore per horas duodecim placato, dum illa quiescebat, ciborum haud ulla erat appetenda. Sequenti die pristinum malum reversum. Post dies XIV Hyosciami gr. jv infusione repetita, hac quidem vice nec febrilis insequabatur motus, nec omnino faustus erat eventus, quum, operatione peracta, ad mediam usque noctem saevius, quam antea, fureret aegrotans. Reliqui, quibus extr. Hyosc. gr. j injectum est, epilepsia laborabant. Operatione vix peracta, febrilis impetus — frigus, aestus, sudor, — ad somnum pronitas, artuum infirmitas et gravedo invadebant singulos. Duorum paroxysmi epileptici aliquot intermittentibus diebus. Mirandam, notatuque dignum erat exanthema, ipso infusionis factae die, in horum aegrorum uno obortum, minutarum rararumque pustularum, clara lymphae repletarum speciem referens, punicea area circumdatum. Area aliquot diebus post evanescente subflavescente coeperat lympham. Hoc quidem exanthema, pustularum rararum congerie, florenti argentei spaciolum regens, in diversissimis corporis locis reperiebatur eruptum, ut in carpo, in tacereto, circa os et nasum



in femore superiori et in osse sacro. Duodecim diebus elapsis crustae generabantur ex fusco subflavae se secernentes post aliquot dies. In alio, alterius generae erysipelas comparebat, sequente die vomitorio adhibito disparsens.

§. 26.

**Extractum et Tinctura Nucis Vomicae.**

Extracti nucis vomicae, in aquae uncia una soluta, gr. ij, et tincturae ℥j ex aqua ℥j; infundebantur epilepticis.

Extracti usum, statim post infusionem factam sequebantur congestiones capitis, nausea, impedita respiratio, in aegrorum istorum uno etiam spasmi cum delirio. Mox deinde frigus continuum, quo vigente nausea, nonnunquam et vomitus insequerantur. Frigori succedebant aestus, pulsus parvi, frequentes et spastici, de capitis doloribus, faucium siccitate, languore, gravedinis infirmitatisque sensu in artibus movendis querentibus aegrotis; terminabatur profuso sudore paroxysmus febrilis, quo in stadio maxime laxa solebat esse alvus, creberrime dejecta. Subsequente etiam die continuabant capitis dolores,

faticium, siccitas, sitis, fracta ciborum appetentia, cum aliquot alvi dejectionibus. Tincturae nucis vomicae infundendae quater periculum factum. In duobus aegris sequebatur febricula. — frigus, calor et sudor. Tertii aegrotorum vehemens febris erat, frigus continuum, cum vomitu laxaque alvo conjunctum; caloris stadium comites habebat motus convulsivos, angorem, inquietudinem, profuseque subsequenter sudorem. Noctem inquiete peregit aegrotus, sequente die, infusione non repetita, iterata febre vexatus cum iisdem, quibus pridie ejus dici obnoxius fuerat, symptomatibus, nisi quod minus vigerent. Quo facto subflavi coloris speciem cutis induit. Tertio die cutis flavedo insignior erat, exanthemate pustuloso eoque pruriente in labio, in nasi inferiori parte, osseque sacro exorto, die quinto una cum cutis flavedine evanescente; quo facto in brachii anterioris dextra parte idem exanthema erupit, id quod evanuit post aliquot dies. Hebdomadibus tribus elapsis, infusione in eodem aegro repetita, hac quidem vice nulla oboriebatur febris, nisi quod de ingrato urentisque sensu quereretur per universum corpus disperso. Praeterea

infestabatur palpitationibus, artuum tremore, magno angore, animo demisso, vehementique ad plorandum pronitate. Memorabilis erat, quae quatuor horis post infusionem factam adfaciebatur, aponia hoxae quadrantem, et quod excurris, perdurans. Subsequente die remanserat languotia, carbidi abjectique animi sensus et pallor faciei.

Paroxysmi epileptici hoc in aegrotto, alias quotidie repetiti, intermittebant prima quidem vice duas, altera tres hebdomadas; tum quidem reduces primo quidem mitiores ac rariotes, sensim autem priori vi recuperata. Omnino beneficis ac salutaris erat nucis vomicae, infundendi methodo adhibitae, usus, potissimum in spasms compescendis. A duobus aegrotis cum discesseris, in quibus nulla conspicua erat mutatio, in reliquis duos sexve dies spasmi intermittebant, praeterea primo reduces vi impetuque prioribus multo erant inferiores.

§. 27.  
 Recipe **Extractum Opii aquosum.**

Extracti opii aquosi gr. j in aquae uncia una solutum decies et septies hominibus spasms, maxime epileptics, laborantibus est infusum. Pe.

riculo gr. j infundendi novies facta semper salutarem se exhibuit effectus. Jam inter infundendum, aut infusione vixdum facta, cordis arteriarumque pulsatio magis vigens, velocior erat, insignior turgor vitalis, insignior eadem caloris externa potentis evolutio; jucundus in aegris corporis sensus. Sex octove horis post obdormiscebant quieto somno, unde expergiscebantur nullo incommodo percepto. In plurimis istorum aegrorum paroxysmi epileptici vi ipsa ut erant mitiores, ita et omnino rariores. In tribus eorum, compluribus alioquin paroxysmis epilepticis per diem vexatis, hi quidem pluribus hebdomadibus utique intermittebant. In muliere, inde a compluribus jam annis pectoris abdominisque spasms fere quotidie saevissimo impetu reducibus affecta, et quam vitio cuiusdam organico obnoxiam esse sane erat, quod medici suspicarentur, ex omnibus ad hunc morbum compescendum unquam adhibitis remediis, nullum tam diu minuebat molestos hujus morbi paroxysmos, quam ejusmodi infusio.

Extracti commemorati largioris portio in-  
fusae effectus minus erat exoptatus, atque recepti-

vitas varia. Duobus tribusve extracti granis injectis, in aliis aegris subsequebatur dirus angor minana suffocationem, in aliis horripilatio, per complures dies continuus, in alio laxa alvus. Tres, quibus tria grana erant ingesta, infestabantur vehementioribus febrilibus motibus. Horror ex frigoris sensu fere dimidiae vel integrae horae, transibat in aestum ardentem cum saevis capitis doloribus, pulsatione frequente ac dura, faciei rubore, oculi ipsa membrana conjunctiva rubente, auriumque susurru. Obversabantur etiam confusae imagines aegrotorum oculis. Sensim caloris ista vis in sudorem profusum conversus, de languore querentibus aegris, alto gravique somno denique sopitis. Permanebant per dies complures stupor, turbidus sensus, nervorum systematis alienatio, turbata concoctio; praeterea exanthemate instar pustularum proxime juxta sepositarum, subflava lymphâ repletarum, crustas deinde formantium, exorto. In aegrotorum uno spasmi post infusionem peractam dirius, quam antea in reliquis, saeviebant; in duobus aliis nulla fere hujusmodi mutatione observata. Et hoc quidem animadverti idem licebat in singulis,

quibus opii majores doses fuerant infusæ; a tribus cum discesseris, quotidianis spasms obnoxils, qui aliquot dies horum manebant immunes.

## §. 28.

Hydrargyr. muriatic. corrosiv.

Hydr. muriat. corros. gr. j semel gr. jii aquae unciâ una temperata ter sunt adhibita in epileptici. In eo, cui gr. unum erat ingestum, nulla omnino organismi mutatio percipiebatur. In reliquis, quibus gr. jii erant injecta, statim post operationem frigus est insecutum, cum capitis doloribus nauseaque conjunctum; quae subsequerentur in ipso infusionis loco levis calor brachiique dolores. Horis quinque septemve elapsis cesserat quaecunque mutatio infundendo advecta, nisi quod brachii dolores continuarent, aliquot diebus post demum evanescentes. In duobus ex ægris, quibus gr. jii injecta fuerant, intermittebant paroxysmi epileptici aliquot diebus.

## §. 29.

Kali carbonicum.

Kali carbonici gr. j, ad summum octo, aquæ ʒij soluta, hominibus triginta uni, spasms chlonicis, maxime epilepticis, qui laborabant sunt

infusa. Consueta et facta quidem infusione per-  
 cipi solita haec erant phaenomena: aut jam in-  
 ter infundendum, aut infusione peracta, febriles  
 motus et primo quidem frigus tremulum, pallida  
 facies, collapsa; cutis anserina universi corporis;  
 unguium livor, et pulsus parvi, frequentesque;  
 frigus jam horae quadrantis, jam integrarum  
 horarum duarum, versum in calorem, faciei  
 rubor, aucta cutis temperies, pleni pulsus.  
 Plerumque oboriebantur capitis dolores, nausea,  
 sitis, rarius ipse vomitus. Terminabat utique  
 paroxysmum febrilem sudor universus. Hoc qui-  
 dem finito subsequetur languoris sensus. Per  
 noctes insequentes jucundus aegros recreabat  
 somnus. Paroxysmi epileptici, qui plus una vice  
 per diem plurimos istorum miserorum vexaverant,  
 maximam partem intermittebant pluribus diebus,  
 in duobus istorum adeo quatuor integris septima-  
 nis. — Qui deinde cum reverterentur, ut mitiores  
 primi erant, ita et rariores, nec nisi sensim prio-  
 rem vehementiam adepti. Kali carbonici vis irri-  
 tans non eadem erat in singulis. In aliis levisi-  
 ma fuerant febrilia phaenomena, ut quae non-  
 nunquam in sola quadam artuum tensione cerne-

rentur. In aegrorum istorum uno, epilepsia laborante, simulque maniae periodicae obnoxio, kali carbonici gr. viijj, aquae uncia una solutorum usum nil sequebatur, nisi levis horripilatio, intra unius horae aliquot minutiora momenta finita, irritatione etiam, pro infusionis repetitae frequentia, magis magisque iminuta. In aegrorum alio contra, spasmi, adeo inter infundendum, in aliis, et in duobus quidem, febrili frigore vigente spasmi redibant. Memorabile notatuque dignissimum est, in quatuor aegrotis, in quibus febrilia phaenomena, praevia infusione, vim maximam exseruerant, sequentibus diebus tribus magis magisque mitescentia, infusione non repetita, omnino esse reversa.

§. 30.

Tartarus stibiatus.

Tart. stibiatl gr. j — jv in aquae uncia una solutis, atque hominibus, qui convulsionibus, potissimum spasms epilepticis, cruciabantur, quater et vicies infusus, haec plerumque animadversa sunt phaenomena: Infusione vixdum facta inaequebantur coenesthesia alienata, angor, languoris diffractarumque virium sensus, succedenti-



bus nausea, vomitu frequente, mox horrore ex percepto frigore, converso deinde in ipsum frigus tremulum, vicens jam horae unius quadrantem, jam integram horam. Exilis erat pulsatio, spastica, stricta; facies pallida, lividi unguis. Frigore sensus in calorem, calore in sudorem verso, invalescebat pulsatio, rubescebat facies; saevius capitis doloribus, oculorum ardore sitique exortis. Febrili hocce impetu finito, quieto somno usi sunt aegri. Incitatio ex Tart. stibiato perfecta non semper eadem erat. In epilepticis tribus fere nulla organismi insignior animadversa est reactio, tametsi aegrotorum uni solutionis gr. jv fuissent injecta. In aliis nulli comparebant distincti paroxysmi febriles, ita, ut, frigore non antecedente, nausea et aestus exorirentur. Pariter memorabile erat, notatuque dignissimum, quod idem multorum horum aegrotantium paroxysmus, infusione non repetita, rediret.

In spasmos infringendos, salutatis omnino hujus infusionis vis reperta. Plurimorum sane paroxysmi spastici aut intermittebant compluribus diebus, aut certe mitescebant, omninoque erant rariores. Non nisi paucissimi nulli omnino obnoxii erant mutationi.

## §. 31.

## Zincum sulphuricum.

Zinci sulphurici dimidio grano, in aquae uncia una soluto, atque epilepticis tribus infuso, extemplo languoris sensus est perceptus. In uno ex aegrotis subsequebantur saevus paroxysmus febrilis, — frigor, aestus, sudor. In alio sola horripilatio; in alio, post aliquot horas, (quamdiu organorum adfectio nulla, non distincta quidem, est animadversa) saevior, quam quo ante unquam vexatus fuerat aeger, paroxysmus epilepticus. At nullam tamen vim in morbi decursum exseruerat infusio. Aliorum, et duorum quidem, intermittebat epilepsia per aliquot dies. Tribus illis, et singulis quidem, sustinendi erant aliquot diebus brachii dolores.

.....

## C a p u t V.

*Infusionis Indicatio.*

## §. 32.

Fluidis infundendis medendi methodus, in qua tractanda versamur, tam parce tenuiterque est exulta, tam anceps est atque incerta, medicorum experta circa morbos infusionis beneficio

sanatos, cum vulgo communicata publicque juris facta tantopere a se ipsa abhorrent, ut illius utique admittendae aut adhibendae opportunitas expeditius indicanda ac determinanda in arduis difficillimisque possit numerari. Praeterea cum in organismum proximam vim non exserere non possit, nec raro permultis difficultatibus laboret ipsa infusio; prudentis medici est, ejus periculum neutiquam facere, nisi consuetis methodis aut frustra omnino adhibitis, aut, praesagiendo sese, experientia satis edocto, recte suspicante, consuetorum remediorum nullum fore salutarem usum, neque ullo igitur alio modo exoptatum finem se consecuturum sperare licuerit. His quidem positia, equidem crediderim, ad infestam dolorosamque degluttonem, cum aliena corpora temere sunt deglutita, atque impedita est glutitio, aut oesophago mechanico modo vomitibus ista sunt ejicienda; aut sensibilitatis systemate adfecto, qua quidem re sive sensorii activitate sublata, (sicut in catalepsia, apoplexia, asphyxia etc.) sive degluttonis organorum spasmis vigentibus (ut in trismo, tetano, hydrophobia) tum quidem, inquam, salutarem fore ac suadendum utique esse infusionis usum existimaverim.

Deinde etiam ubicunque *δυσκρασία* sanguinis fuerit (ut in febre putrida, in vehementioris notae scorbuto, forte et in periculis ex viperarum morsu oriundis etc.)

Nonne fortassis et in morbis cum tractu intestinorum adfecto, ut Scirrhus, Carcinomate ventriculi conjunctis, commendabilis fuerit infusionis usus, in quibus curandis medicamenta alioquin adhibita aut assumi omnino nequeunt, aut vomitu spastico mox vicissim eruantur?

Denique submonere liceat, medicos in tractandis multis morbis nervosis, iisdemque chronicis, maxime in epilepsia, mentisque turbationibus, ceteris remediis arte nostra praescriptis frustra omnino adhibitis, aut in tantis vitae periculis, ut de salutari medicamentorum consuetudine ab arte medica de meliori commendato usu utique desperandum esset, infusionem, tanquam ultimum solumque amplexos esse refugium; qua rite adhibita haud raro faustissimo beatorum oblectatorumque fuisse eventu. Cujus remedii audacter sane arrepti fidem facit summus Hippocrates \*) idem; ut qui „ad extremos morbos extrema remedia exquisita optima,“ dicere non dubitaret.

Equidem hanc ipsam legem, a tanto viro latam, ad infusionis usum utique adigere medicos, haud existimen, at persuasum tamen habeo, in morbis curandis, supra a me commemoratis, fortassis et in quibusdam aliis, non omnino rejiciendum esse illius usum.

---

\*) Sect. 1, Aphor. VI.